

D. h. II, 339.
h. 66, 10.

(X1877307)

II R
480

Quod DEUS Ter Opt. Max.
benè vertat!

Succinctam substrictamq; Materiei spinosissimæ,

De

COMPENSATIO- NIBUS DELINEA- TIONEM

In Illustri Academia LIPSIENSI,

PRÆSIDÈ

M. SEBASTIANO Krebs LIPS. I. V. LI-
CENTIANDO,

Privatæ disquisitioni subijcit

CASPARUS Stumpf alias Sahr Meming. Fr.

Ad diem 18. Mart. horâ & loco consuetis.

SENEC. IN EPIST.

Nec quicquam tam probe aut provide dicitur, quod
non vellicare malignitas possit.

Typis Christophori Bismarci,

Anno redonatæ salutis clc 18c XVI.



MAGNIFICIS

Nobilissimis & Consultissimis VIRIS,

Dn. IACOBO SCHRÖTERO CANCELLARIO Spectatissimo,

Dn. RVDOLPHO à PONIKAV in lüchsen, arcis Masfeldicæ ac Reipub. Meiningensis præfecto: nec non Dyca-sterij supremi quod est Jenæ judici dignissimo,

JURECONSULTIS EXIMIIS,

Serenissimi Electoris ac reliquorum Saxonie Ducum, in illustri Comitatu HENNEBERGICO, Consiliariis lectissimis:

NEC NON

Amplissimo ac Spectatissimo Viro,

Dn. HIERONYMO Stumpfen aliàs Lahr/Quæstoriarario Comitatus ejusdem, PARENTIS UO filiali obedientiâ adamando

Dominis fautoribus ac promotoribus suis submissâ gratuitudine perpetuò colendis

Has sacrificij privati primitias

*dicando consecrat,
consecrando addicit,
addicendo offert*



CASPARUS Stumpf aliàs Lahr
Meining. Fr.



Σὺν Θεῷ, καὶ ταῖς μέσαις.

PROSCENIUM.

Sicuti in jure nostro Justiniano multivarij modi constituendæ; Sic è converso & plures tollendæ obligationis reperiuntur. Inter hos haud postremum sibi vindicat locum, subtilis illa compensationis materia, ut vocatur à Tyndar. *tr. de compensat. art. ult. in fin.* cujus utilitatem nō sanè à quoquam negatum iri arbitramur, modò summam, quam continet æquitatem in communi hominum commercio, materiæ prolixam ac fastidiosam quorundam perplexè tractantium copiam intueamur. Utilitate cōcessâ, concedenda erit & difficultas, plerumque enim secundum vulgatum diverbium Solonis: δύσκολα τὰ καλὰ. Nobis ex immenso hujus materiæ rerum variorum Oceano in præsentem disceptationem guttulas saltem derivasse; difficiliora verò, ad majorum gentium interpretes pro tenui nostro instituto remisisse sufficiat, ne verboritas legibus inimica, dedecus afferat. *l. tanta §. 21. C. de vet. Jur. Enucl.*

Conclusio Prima.

Compensationis vocabulum, ut rem ab ovo repetamus, nominis originem trahit, ex antiquo gravis æris adpendendi more usitato apud Romanos ante usum signatorum nummorum. *Donell. 16. com. c. 15.* Romani enim soluturi, id non numerabant sed appendebant; & hunc usum adhuc hodiè extremæ Asiæ populos Chineses servare tradit. *Job. Mendoz. lib. 1. de Regn. China. c. ult.* Inde compensare nil aliud est, quàm debitam pecuniam pendere, & veluti æquâ lance debitum cum debito sic trutinare, ut neutrum præponderare videatur. *l. deducta §. 8. §. acceptis in fin. ff. ad Trebell. Treutl. p. 1. disp. 25. th. 7. lit. b. Festo lib. 14.* Compensare idem est ac solvere.

2. Et designatur in multis Juris locis simpliciter pensatio, hujus rei vestigia

vestigia visuntur hinc inde non pauca. in *l. Mævius § 2. §. arbiter. ff. famil. hercis. l. viro 39. ff. solut. matrim. l. unum 67. §. 3. ff. de legat. 2. l. 18. in pr. ff. de pign. action.* Græci compensationem ἀντέλλογον nuncupant.

3. Interdum compensare, latius aliquantulum voce compensationis extensâ significat imputare. *l. Gajus 39. ff. de pign. acti. deducere l. si 24. §. pen. ff. solut. matrim. emolumentum percipere. l. 1. §. 3. ff. de pignor.* in brevi hac *Ἀγοκέψη* accipitur pro imminutione æris alieni per id quod invicem debetur ad summam usq; concurrentem. *l. 34. §. 5. ff. de legat. 2. Pet. Greg. Tholos. p. 1. Syntag. Jur. Civ. l. 22. n. 2.*

4. Explosâ definitione Cujaci *l. 9. obs. 36.* definitur à Modestino Jcto debiti & crediti inter se contributio. *l. 1. l. 21. ff. b. t. Donell. d. l.* explicat confusionem ex mutuâ contributione, in utriusq; persona natam, tanquam si creditum & debitum in utroque contributum & confusum esset, ut neutrum appareret.

5. Verba inter se, in definitione, arguunt debitum alterius in compensationem non deduci. *l. ejus C. b. t.* etiam si is consentiat, cui debetur.

6. Creditum & debitum, licet aliàs ὁμώνυμον sit, ut videre licet apud Borch. *b. tr. c. 1. n. 3. & seq.* hîc tamen κοινῶς in latissimâ significatione & planè impropriâ sumitur, quod ex contractu vel delicto vel ex quacunque causa peti potest. *l. 10.* ubi eximium Jctorum sydus, *Gædd. de V. S. n. 7. l. sed atrum 14. ff. de petit. hered.* nam & quod naturâ debetur venit in compensationem, licet minus propriè debere dicantur naturales debitores, abusivè tamen intelliguntur debitores. *l. fidejussor 16. §. fidejussor. 3. ff. de Fidejuss.*

7. Contribuere idem est quod conferre *l. 1. ff. ad L. Rhod. de jaetur.* debitum & creditum ita permiscere, utrumq; ut confundatur *l. in. 11. §. quod 5. & seqq. ff. ad L. Falcid.* Id est ut obligationes utrinq; tollantur. *l. debitori. 7. C. de Pactis.*

8. Circa divisionem non admodum sudabimus, sed ne cornicum oculos configere videamur, vulgarem, quâ haud inconcinnè in necessariam & voluntariam dissecatur, retinebimus. Illa fit judicialiter & invito adversario, judicium enim in invitum fertur *l. 83. §. si Stichum ff. de V. O.* hæc extrajudicialiter & eo consentiente, *arg. l. 17. C. de solution.* altissimi fastigii JC. *Donell. d. l. c. 15. vers. Compensatio.*

9. Hîc non immeritò quæritur, cujus juris sit compensatio? hæc enim quæstio animos quorundam ita suspensos tenuit, ut à Methodo Justinianæa declinandum putarint. Nos compensationem necessariam Juris civilis

lis

lis esse asserimus, ab eo enim quâ vim, quâ animam formata est, ut valeat effectus suos exerere. *l. verum 4. l. postea 25. ff. b. t.*

10. Ad publicam utilitatem eo fine inducta, ut omnes litium evellerentur ac præciderentur stirpes. *l. singulis ff. de Except. rei judic. l. quidam 21. in fin. ff. si certum pet. ne fieret per plura quod paucioribus expediri posset l. nulli. 10. C. de judic.*

11. Voluntaria verò Jurigentium accepto referri debet, cum enim nostra potius interfit non solvere, quàm solum exiguo haud labore & impensis repetere. *l. 3. ff. b. t.* quando quidem dolo facit, qui petit, quod mox restitutus est. *l. 8. ff. de dol. mal. c. dolo de R. 7. in 6.* ideò omnes gentes usu recepto debitum cum debito volentibus partibus compensarunt, nec ulla gens tam à ratione averfa fuit, ut eam non admitteret; & hæc privata utilitas ac æquitas est compensationis.

12. Differt Compensatio à Retentione & Reconventione (1) quod utràque cessante compensatione locum obtineat. *Zobel. p. 1. diff. 19. n. 5. Marant. p. 4. dist. 6. n. 3. versic. ult. & n. 4.* (2) Compensatio transfert dominium & juris est, Retentio non item, sed suspendit saltem, donec satisfiat, nec fit ipso jure, sed per exceptionem & juris est. *Vult. in §. sequens 16. n. 44. Inst. de Action.* (3) Compensatio est loco solutionis: Retentio verò fit jure pignoris. *Coler. de process. Execut. n. 184. cum seqq. Diss. Pacian. de probat. p. 1. cap. 63. n. 125.* ajens: Reconventionem & Compensationem idem esse.

13. De Jure Saxonico Compensatio quidem videtur species Reconventionis *Landr. l. 2. art. 12.* sed illam differentiam Elector abrogavit. *p. 1. const. 8.* & in vim solutionis permisit: *So lassen wir uns gefallen / in fit, daß die compensation auff Sächsischen Boden unserer Lande / als in Krafft einer solution sol zugelassen werden / quâ sanè Electoris constitutione Wesenb. in paratit. b. t. n. 9.* & omnes alii reprobantur, qui existimant Juri Saxonico eam incognitam esse.

14. Porrò perspectâ nativâ indole Compensationis, eâ utitur quivis, tam suo quàm alieno nomine, nisi jure prohibeatur. *l. 2. ff. b. t.* facit generalis æquitas de qua in *§. penult. Inst. de Action.*

15. Suo nomine æquitate Compensationis rectè utitur Procurator in rem suam post litis contestationem, quod domino debetur *text. notab. in l. in rem 18. ff. b. t.*

16. Verum an ei hoc liceat ante litis contestationem? in eo Dd. magis sudant. *Treutl. disp. 25. p. 1. th. 10. lit. B. & Zang. de except. p. 3. c. 8. n. 62. Azo in*

*Summa C. h. t. n. 7. negant. quid ergo? non stabimus tanquam agni coram
rondente, sed affirmativam obviis, ut ajunt, ulnis amplexamur. arg. l. 25. ff. de
Procurat. conspirat nobiscum amice Ant. Fab. 12. conject. c. 6.*

17. Prohibitis compensare suo nomine, an Bannitus & Excommunicatus accenseri debeat? non usque-quoque expeditum est. Bartol. illud Juris Civilis Speculum in l. amplius. n. 9. ff. rem rat. hab. affirmat: verum ejus Ipeculatio aperti erroris arguitur, cum tratatitium sit: Compensationem esse exceptionem & defensionem l. fin. C. h. t. ast verò defensio quæ Juris naturalis est, cujus & Bannitus, vel Excommunicatus capax est, nemini, ne quidem Diabolo deneganda. Clem. pastoralis in fin. de sent. & judic. quidni igitur compensabit ratione Juris naturalis? alia fundamenta subministrant Seb. Medic. b. tr. p. 2. q. 3. per tot. Leonh. Coppel. b. tr. c. 3. n. 3. & seq. ad quos remittimus ne quemnam Zoilum & sciolum hîc audiamus oblatrantem, non esse difficile aliorum ex lacunis, quæ hauriuntur non nihil guttularum aspergere.

18. Alieno nomine beneficium Compensationis indulgetur, tutori convento pupilli nomine, cum enim pupilli nomine solvere possit l. si. II. C. h. t. utiq; & compensare.

19. Nec obstat huic Compensationi divi ïo tutelæ. l. 36. ff. de administrat. & peric. tutor. licet enim diversa sit administratio, non tamen diversa est tutela in effectu. Dissent: quidam per l. 1. C. si ex plurib. tutor. sed de illa. l. preter. Coppel. b. t. c. 4. n. 15. in fin. latius *εν οὐπὸ ἀξί.*

20. Deinde largitur hoc beneficium filiofamiliâs existenti adhuc in patria potestate, in iis quæ patri debentur. l. 9. §. 1. ff. b. t. cavere tamē tenetur, patrem ratam habiturum Compensationem, nec exacturum quod is compensavit. d. l. 9. §. 1. b. t. Etenim unus contractus est, non tantum ratione societatis pro ut Borch. b. t. c. 4. n. 24. cæteri q; ad unum omnes, post Cujacium in suo Paulo nugantur, sed etiam identitatis personarum patris & filiofamiliâs §. si quis 4. Instit. de inutil. stipul. & patrimonij eorundem §. sui autem Inst. de hered. qual. & diff.

21. In ratione investigandâ cur filiofamiliâs præstitâ cautione de rato compenset. Dd. valdè laborant: nos hanc esse existimamus, quod etiam aliâs sine mandato, præstitâ tantum cautione de rato nomine patris agere queat. l. Pomponius §. fin. ff. de Procurat.

22. Utentibus Compensatione alieno nomine, connumerari debet & fidejussor, propter conjunctionem obligationis, qui conventus à Cajo, electionem

tionem habet, utrum velit compensare, quod Cajus sibi debet, an verò quod Reo principali. *l. si quid. §. ff. b. t. Seb. Med. p. 2. q. 4. n. 1. h. t.* ideò quando compensat quod Reo principali debetur, eo sanè casu majorem in quantitate non tenetur, quam Reus principalis condemnari potest: *l. 4. ff. b. t. Borch. b. tr. c. 4. n. 25.* notissimi namq; Juris est: reales exceptiones Reo competentes & fidejussori quoque competere. *l. omnes. 19. ff. de Except. Tynd. art. 7. n. 30. b. tr. exceptio verò Compensationis realis est l. 7. ff. d. t. de Except.*

23. Aliud est in eo fidejussore, cujus Rei principalis universa bona publicata sunt; hic enim exceptione Compensationis & aliis realibus, quæ competebant Reo principali, statu adhuc integro existente, uti non potest. *l. 1. C. de fidejussor. Zang. d. tr. de Except. c. 8. p. 3. n. 37. cum seq.*

24. In duobus Reis hoc Juris est: licet uni ex duobus Reis, quod stipulator alteri debet, Compensationis beneficium non proficit. *l. ergò. §. sed si quis ff. de duob. reis.* si tamen socii sint, & inter se vice mutua fidejusserint, eo sanè casu compensare potest unus, quod alteri debetur. *l. 5. ff. b. t. Ronchegall. ad l. 10. de duob. reis. n. 8.*

25. Sic & Procuratori seu absentis defensori indulgetur hoc beneficium de debito, quod ad ipsum dominum spectat. *l. posteaquam 21. ff. b. t.* absque præstitâ cautione de rato. Vult. *7. R. c. 58. n. 7.* quia ab initio ipso jure minus ab eo petitur, ut non ipse Procurator postea, sed merum Jus compensare, & Procurator factam à Jure compensationem saltem allegare putetur *d. l. 21. ff. b. t. Tynd. art. 7. n. 6. b. t.*

26. Hucusq; cursim vidimus, quibus detur Compensatio: proximum est videre, adversus quos detur. Quemadmodum autem cuivis Creditori firmus Compensationis obex objici potest, si debitor eundem Creditorem sibi vicissim debiti nomine obstrictum habeat: *l. 30. ff. de condict. ind.* Ita nec creditor regulariter compensare cogitur quod alij, quam debitori suo debet. *l. 18. §. 1. ff. b. t.* quamvis creditor ejus pro eo, qui convenitur ob debitum proprium velit compensare. *Borch. b. tr. c. 4. n. 21.* ubi quasdam exceptiones adducit.

27. Et ideò cum militi castrensiom bonorum alius cæterorum alius heres existit, & debitor alteri heredum obligatus, vult compensare, quod ab alio debetur, non audietur *l. 16. §. 1. ff. b. t. Borch. c. 4. n. 26.* ex persona enim militis diversum ejus censetur patrimonium. *l. 25. §. 1. ff. fam. hercisc.*

28. Num autem feudi successor in hisce terris expeditoriorum & bonorum utensilium agens compensationem objectam à Reo cui heres quid debet admittere cogatur? Dubium haud vulgare facit Dd. conflictus, affirmata

mata opinio licet magno nitatur colore, cum juris tamen ratione non
convenit; ad similitudinem igitur bonorum castrensiū negamus. *arg. d.*
l. 16. §. 1. ff. h. t.

29. Ideò etiam rescriptum est *in l. pen. ff. h. t.* id quod pupillorum no-
mine debetur si tutor petat, non posse compensationem objici ejus pecu-
niæ, quam ipse tutor suo nomine adversario debet, quippe respectu insti-
tutæ actionis aliud est debitum, proinde censendum est, ac si tutor non
ageret, sed ipse pupillus.

30. Quæstio hujus loci est pulcherrima at acerrima, utilissima at intri-
catissima: An compensatio pupillo pubertati proximo, sine tutoris auto-
ritate obligato, nec tamen exinde locupletiori facto opponi queat? Affir-
mantium castris nos devovemus *moti tex. l. 3. §. pupillus 4. ff. de negot. gest. de*
quo vide Arumæ. tr. de mora c. 6. n. 13. ancillatur huic intentioni ea ratio,
quod pupillus pubertati proximus obligetur naturaliter, licet non sit fa-
ctus locupletior *Bocer. de invest. feud. c. 3 n. 13.* ubi dissentientes refellit soli-
dissime, repellit remotissime.

31. Pertinet huc & dubietas: si cessionarius vi cessionis agat, utrum
compensatio, quæ cedenti domino utiliter objicitur, ei quoque opponi
possit? *Tessaurus ille verè Thesaurus decis. Pedemont. 221. n. 2.* distinctione
hoc negotium absolvit, ut si in ipso actu cessionis debitor interveniat, &
cessionario delegationem acceptanti promittat, eo casu negativa præva-
leat *arg. l. 19. ff. de Novat.* Sed certè ament & exosculentur hanc opinionem
qui & quandiu velint, nos non habebunt rivales, affirmata ergò sententia
ut communior; ita & verior, est enim compensationis exceptio in rem, in-
de cessionario quoque nocet. *Seb. Medic. p. 1. q. 43. n. 4. h. t. Coppel. c. 4. n. 10.*
h. t. Dyn. c. 46. de R. 7. n. 16. & seq.

32. Studioso verò mercatorem pecunias à patre missas deferentem non
posse compensationem objicere, tradit *Rebuff. tr. Privil. Univers. p. 168.* sic
nec sacerdoti petenti decimas. *Jason §. in bonæ fidei. n. 13. Inst. de action.*

33. Illud silentio haud involvendum, non duntaxat privatis, sed & Fisco
ac Reipublicæ in publicis causis compensationem opponi. *l. 12. ff. h. t.* si qui-
dem Fiscus privatorum jure utitur. *l. item, 30. §. 9. de petit. h. t.* quod pro-
cedit, si eadem statio seu mansio, in qua officia fiscalia consistunt quid de-
beat, quæ petit. *l. 1. C. h. t.* tunc enim quis rectè compensabit cum illo debi-
to, quod sibi debetur ab eadem statione, alioquin quod una statio alicui
debet, id compensare quis non potest altera statione agente. *Borch. h. t. c. 5.*
n. 4. exceptiones vide in l. 7. C. h. t.

34. Sicut

34. Sicut verò omnis regula facile subvertitur *l. 202. de R. I.* ac vitia-
tur in quibusdam casibus, suumq; officium perdit, *l. 1. in fin. d. t.* ita &
hæc in causa publica perpetua non est, ideò inquit Alexand. *Imper. in l.*
3. C. b. t. Ita demum autoritate Præsidis Provinciæ compensationem
admitti eius, quod Respublica seu civitas debet, si neque ex Calenda-
rio h. e. ex causa fœneratiæ pecuniæ à Republicâ mutuo acceptæ, ne-
que ex vectigalibus, neq; ex frumenti vel olei publici pecunia, adfol-
venda videlicet stipendia iis, qui Reipublicæ operam navant, veluti
Professoribus liberalium artium, Consiliariis & ducibus belli, neq; tri-
butorum, neq; alimentorum, pauperibus in Xenodochiis & aliis simi-
libus locis præstandorum, neq; eius quæ statutis sumtibus servit, neq;
fideicommissi civitatis debitor sis.

35. Et licet in *l. 46. §. 5. ff. de Jur. fisc.* tantùm quatuor causæ excipian-
tur, id tamen omne quod deest supplendum est ex hac *l. 3. C. b. t.* poste-
riores quippe leges ad priores pertinent, & contra *l. non est novum, cum*
seq. ff. de legib. Et prohibitionis ratio in *d. l. 3. C. b. t.* est publica utilitas &
annonæ necessitas, de qua Elias Reusn. *l. 1. art. stratag. c. 22.*

36. Olim compensare volens adversus fiscum, docere necesse habe-
bat debitum, intra duorum mensium spacium, *l. aufertur 46. §. 5. ff. de*
Jur. fisc. Sed hodie jus illud emendatum est per *l. fin. C. b. t.* Zang. *d. l. c. 8.*
p. 3. n. 102.

37. Transitum nunc faciamus ad subjectum, sive res quæ compensa-
tionem admittunt, ac in voluntaria compensatione, quæ regulatur à
voluntate partium, quælibet res indifferenter sive in quantitate consi-
stat, sive non compensari potest, etiam cum consensu partium, species
cum specie, & aliæ res alioquin non compensabiles, quemadmodum
pro alia re volenti quælibet res solvi potest, *l. manifesti C. de solution.*
ita & compensari.

38. In Necessaria verò compensantur tantùm res fungibiles utrinq;
debitæ, quæ sunt eiusdem generis, qualitatis & bonitatis *l. si non 26. §. 4.*
ff. de Condict. Indeb. l. 1. §. 1. C. b. t. l. pen. ff. eod. Paul. Bus. l. 3. sub. Jur. c. 4. Arum.
l. xerc. Instin. 16. ab. 30. h. e. quæ in genere suo functionem recipiunt, velu-
t sunt, quæ in pondere, numero ac mensura consistunt. *l. 2. §. 1. ff. de*
reb. cred. & in iure quantitates dicuntur.

39. Cur sic? quia hæc res solæ mutuanam functionem & permutatio-
nem recipiunt: & qui per solum numerum, pondus & mensuram in

B

rebus

rebus æqualitas introducitur & existit: quia denique aliæ res propriæ quadam vi & qualitate constant, quæ aliæ ab aliis differunt; ut quamvis in pari numero vel pondere sint, tamen aliæ longè vincant alias, aut ipsæ ab aliis vincantur.

40. Hinc generis cum genere, modò sit eiusdem qualitatis & bonitatis, potest fieri compensatio *l. 1. §. 4. ff. si pars hered. pet. l. 67. §. 3. ff. de legat. 2.* sic quantitatis cum quantitate. *l. 4. §. 20. ff. b. t.* nec impedit, æqualis quantitas utrinque debeatur an inæqualis: Semper enim ad concurrentes quantitates compensationi locus est, *l. 12. ff. b. t.* Rem pingui Minervæ ita declaramus: Si Sempronius Cajo deberet 200. & Cajo vicissim Sempronio 100. Sempronius Cajo ipso jure non plus quam 100. debet.

41. Unde brevitatis causa notandum: ubi pecunia pro pecunia solvi potest, ibi competit compensatio, quando eadem bonitas est in monetæ materia, licet alia forma sit, & ideò aurei nummi in pondere vel massa debiti, possunt regulariter compensari argenteis & alia quacunque moneta. *l. 3. ff. de reb. cred. l. 1. §. fin. §. l. 35. ff. de aur. §. arg. legat. Hoto. ill. quest. 15.* quia æstimatio nummorum credita videtur, non corpora. *l. 65. §. 1. ff. de V. O. Anton. Fab. de var. num. debit. c. 8. §. 9.*

42. Quod declaratur sic, si nullum damnum creditor ex ea re passurus sit. *l. 99. ff. de solut.* aut nisi certa moneta, veluti aurea, sit in obligatione. Nam tunc præcisè secundum legem conventionis in aurea moneta si eius copia haberi potest, solutio facienda est, & quidem mutata bonitate intrinsecâ, secundum valorem, qui fuit tempore contractus. Nicol. Reusn. *cons. 13.* Molin. *de usur. n. 693. §. seqq.* Alem. *in Palest. consult. 8. de jur. Monet. p. 391. §. seqq.* VVehner. *in obs. pract. verbo Goldgülden.*

43. Aliud dicunt Dd. Si idem bonitatis intrinsecus status manserit, extrinseca autem bonitas: h. e. valor eius impositivus & æstimatio creverit vel decreverit, Wenn die Valuation oder gepräg güldiger oder geringschätziger ist worden / quo casu præstandam ajunt æstimationem, quæ fuerit tempore solutionis, *arg. l. 62. ff. ad L. Falcid.* Cothman. *Resp. 36.* quam sententiam & suo calculo aliquando superbire voluit Camera Imperialis teste Andr. Khol. *exerc. 18. §. 19.* quæ tamen à Constit. Electorali non attenditur, *p. 2. const. 28. & rectè quidem per tradita Alemanni de consult. 8. p. 603. §. seqq.*

44. Por-

44. Porro cum certum corpus nummorum designatur, veluti 100. quæ in arca obsignata habeo, quantitas videtur deberi tanquam species, inde nascitur haud infrugifera investigatio; An, si talis quantitas debeatur, ex una parte, compensari possit cum quantitate simpliciter debitâ ex altera parte? qui affirmant, errorem errant gravissimum, nobis negativam extorquet. *l. 34. §. 4. ff. de legat. 1. Recitator sententiarum. l. 1. contrav. c. 6. Coppel. b. t. c. 5. n. 3. divortium faciunt Osvald. Hillig. ad Donell. d. l. c. 15. lit. Y. & allegati à Fach. in d. l. pro quorum delirio salvando laborat Duaren. in l. 7. §. ob donationes. 5. ff. solut. matr.*

45. Quamobrem Duareni opinionem invitâ Iurisprudentiâ contententis d. l. speciem cum quantitate, & è converso quantitatem cum specie compensari posse, meritò reprobamus, aliud edocti sumus ex *l. si convenerit, in pr. ff. de Pign. act.* de qua lege adi & audi emeritum, & benè de Iurisprudentia meritum virum *Dn. Borch. b. t. c. 2. n. 14. & seqq.* ubi textus Duareni, qui fortean non leviter quem pungere possunt, satis dextrè in gratiam reduxit. Et hujus rei ratio non ficulnea, sed Herculeæ adfertur hæc: quod aliud pro alio invito Creditori solvi nequeat, *pr. Instit. quib. mod. toll. obl.* itaque nec quantitas cum specie, nec species cum quantitate compensari potest, cum compensatio apertè inter species liberationum collocetur *in l. 4. qui pot. in pign.*

46. Simili modo & eorum opinionem eliminandam censemus existimantium, speciei cum specie fieri posse compensationem, veluti, si debeas mihi in specie vel secundum Logicos in Individuo equum hunc splendide ornatum, ego verò tibi debeam equum hunc album, hanc compensationem justè detractare possum, quia in speciebus variat æstimatio, ac circa eas cadit affectio haud improbabilis. *l. nummis. 3. ff. de in lit. jur.* cum equus meus mihi fortè longè charior sit, quàm tibi tuus. Ideò Creditori cui certus equus debetur non potest objici compensatio, quod invicem alteri equum debeat, eò, quod una species, propter maximam valoris & æstimationis inæqualitatem non fungatur vice alterius, *Sebastian. Medic. p. 1. q. 3. n. 3. d. l. Dyn. §. bona fidei tract. de Action. n. 3.*

47. Quando tamen una species ab uno latere debita, est perempta,

B 2

tunc

tunc devenitur ad æstimationem & fit compensatio, *arg. l. 8. C. b. t. idem est si agatur ad retentionem. Capyc. decis. 88.*

48. Hoc loco allubescit trutinare questionem non futilem sed utilem, non levissimam sed vtilissimam: An debitum juratum cum non jurato sine vilo periurii metu compensari possit? mirè hîc variant Dd. Utraque enim sententia suas asseclas nacta est, ut nescias, quàm tutò sequi debeas aut possis: pro negativa enim stant Canonistæ. Martin Uran. Felin. & alij *ad c. ad nostram. X. de jurejur*: sed nos affirmantium sequemur calculum freti telis & clypeis quos subministrant infra adducti Dd. Iuramentum quippe & res judicata æquiparantur. *l. admonendi. 35. ff. de jurejur.* Ast condemnatus ad solvendum habet beneficium compensationis. *l. 2. C. b. t.* Ergò idem habebit, qui juratò pollicitus est solutionem: huic opinioni subscribunt lubentissimè, adhærent tenacissimè haud proletariæ eruditionis Icti, Setz. *de juram. l. 1. c. 25. n. 100. & seq. Medic. p. 1. q. 25.* Tynd. *art. 3. n. 10. & seq. Fach. l. 1. contr. c. 7.* Coppel. *b. t. s. 4. n. 26. & seq. Diff. Cothm. Consil. 18. n. 376. fol. 1.*

49. Quemadmodum autem rerum principalium, ita & accessionum, puta, vsurarum compensatio fieri solet, veluti cum alter alteri pecuniam sine vsuris, alter vsurariam debet, concurrentis apud vtrunque quantitatis, usuræ præstandæ non sunt. *l. cum aliter ff. b. t.* Sed etsi invicem pecunia sit vsuraria, vsuræ tamen sint diversæ, compensatio nihilominus locum habet, eius, quod invicem debetur. *l. idem 12. vers. sed etsi ff. d. t.* Seb. Medic. *p. 1. q. 50. b. t.* ubi ait: Secus esse de jure Canonico per *C. fin. 14. q. 4. C. consuluit. X. de vsur.* quo jure nec Laicis, nedum Clericis licet mutuare cum spe aliquid recipiendi. Heig. *p. 2 q. 1. n. 5.* Alphons. Villagut. *de vsur. q. 6. per tot.*

50. Insuper debitum etiam litigiosum seu in iudicium per modum agendi deductum in compensationem venire, tam solare tamque planum est, ut esset Phæbo cereum adjicere, si diutius immoraremur. *l. 8. ff. b. t.* nec enim solet deterior fieri conditio eorum, qui litem contestati sunt, quam qui non, sed plerumq; melior, *l. non solet. 86. & l. sequ. ff. de R. I.*

51. Circa compensationem qualitatis ad qualitatem illud attingendum: sæpè fieri, ut causa in seipsa sit impar, qualitate interim existente pari ac simili, quod elucet in compensatione expensarum, videmus enim in iudiciis quotidie evenire, quod vnus litigatorum, plus sustineat

neat sumtuum atque alter (rarò enim utrobique; in judiciis sumptus sunt pares) quia tamen vterque litigandi causam habuit, ista qualitas iusta scilicet causa recipit compensationem & qualitatem sumptuum, *glos. in c. finem. 3. vers. expensas. X. de dol. & contumac. Medic. p. 14. n. 10.* quando autè quis dicatur iustam habere causam litigandi id tradunt Menoch. *A. I. § 6. l. 2. cent. 2. cas. 177. Iason ad auth. jubemus. C. de judic. n. 8. & seqq.*

52. Nedum verò in ijs judiciis quæ sunt ex vltimis voluntatibus. *l. si §. l. etiam 5. C. de non num. pec. Seba. Medic. p. 1. q. 31. b. t. ex contractu vel quasi. l. quod 5. ff. de Impens. in res dotal. fact.* sed etiam in pœnalibus, quæ ex maleficio vel quasi oriuntur, locum habet compensatio. *l. 10. ff. b. t. Zang. de Except. p. 3. c. 8. n. 87.*

53. Quod sanè non ita crudè & simpliciter, sed cum micà & grano salis inaudire oportet, ne fraudibus fenestra aperiatur, videlicet si de maleficiis ad pœnam pecuniariam seu civiliter agatur. *d. l. 10. §. quotiens. ff. b. t.* utpote ex noxali causa seu condictione furtiva, atque hinc tractum & enatum est, quod dici solet: Paria delicta mutua compensatione tolli: Exemplum elegans occurrit introspectanti penitius. *l. viro. 39. ff. solut. matr.* cuius textus generalitate motus Treutlerus idem obtinere in falsis instrumentis vtrunque productis statuit. *d. disp. 25. vol. 1. tb. 9. lit. d.*

54. Sic dolum cum dolo, quando est in pari gradu *l. si duo ff. de dolo malo* negligentiam cum negligentia compensari traditur *in l. 10. ff. b. t.* cæteroquin publicis in judiciis, ubi spectatur vindicta publica ad coërcenda maleficia, compensatio cessat, & utrumque fontem suæ pœnæ manent. *l. 1. §. qui hoc. ff. ad L. Iul. de adult. VVesenb. in Paratit. b. t. n. 5.*

55. Pullulascit hïc quæstio quæ tam frequens est in scholis, ut obsonium in prandio, prout loquitur Köppen *in decis. q. 56. in pr.* Anne iniuriæ verbales, defensionis gratia in continenti retorqueri seu compensari possint? si retorsio fiat iisdem verbis, omninò affirmamus, extra casum enim provocationis proferens, injuriarum rectè conveniri & condemnari potest, *Bart. in litem §. ait Prætor de injur. n. 3.* facit (1.) quod arma armis repellere liceat. *l. 3. ff. de I. & I.* ergò & verba verbis, nulla etenim diversitas rationis subest, sed potius identitas.

56. Nec est quod cavillatoris more regeras *d. l. 3. ff. de I. & I.* loqui non de verbali, sed reali injuria: brocardicon namq; juris est; affirma-

tum de genere, & de singulis speciebus censerī affirmatum, &c. (2) qui retorquet nihil delinquit, cum id agat, ne sibi nocitum sit. *l. 2. §. 9. ff. de aqua pluv.* Imò provocans provocato fenestram sic respondendi aperuit. *l. 5. C. de Metat. l. 12. tit. 38.* Harprecht, *tr. crim. §. 1. de Iniur. n. 80. & seq. Vaud. var. quest. jur. p. 2. q. 39.* Gail. *2. obs. 100. & 101.* Et hæc sententia eò magis arridet, quod eam Spiræ in amplissimo Arcopagitarum Germanicorum consensu receptam sciamus Myns. *cent. 5. obs. 7. n. 1.* ubi requisita, quæ concurrere debent in retorsione observanda tradit *n. 2. & seq. Diff. Medic. p. 1. q. 48. n. 2.* Suarez *thesaur. recept. sentent. n. 73.*

57. Unde objicienti crimen perjurij licitè responderi potest, hoc ab ipso, ut perjuro & perfido proferri. *Arum. decis. 13. p. 2.* tali autem retorsione facta actio injuriarum planè interstinguitur. *l. 25. ff. de Procur. Harprecht. d. tr. crim. §. 12. n. 78. cum seqq.* sed à diverticulo ad rem,

58. Sequitur nunc forma compensationis, quæ, ut melius cognosci possit, illud observasse contulerit, dum demum ritè fieri compensationem, si quantitas debeatur ex civili vel naturali obligatione simul, vel ex naturali tantum, nam & quod naturâ debetur, venit in compensationem. *l. 6. ff. b. t. idq; receptum est æquitatis causa, strictâ juris subtilitate repugnante.* e. g. debeo tibi 100. ex stipulatione, tu mihi iterum debes 100. ex nudo pacto, possum tibi ex stipulatione agenti, objicere compensationem illius debiti, quod mihi ex nudo pacto tantum debes, cum tamen ex pacto naturaliter sis obligatus. *l. 5. §. Imperator ff. de solut. quæ naturalis obligatio ad producendam actionem inefficax est. l. 10. de V. S. Forst. de pact. fol. 205. Anton. Coler. Isagog. Jurisp. p. 2. d. 1. Coroll. 6. Diff. Vaton. à Vacon. 1. declar. jur. c. 31.*

59. Aliàs quod civiliter tantum debetur in compensationem non venit. *l. quotcunq; 14. ff. b. t.* nisi aliquid ex natura admixtum habeat & adminiculum quoddam accedat, ut in Chyrographo post biennium, tum enim civilis obligatio efficax est ad agendum, item in debito ex causa rei judicatæ. *l. Iulianus ff. de condict. indeb. Myns. d. §. bonæ fidei. n. 11. Inst. de Action.*

60. Item quod exceptione aliqua, jurisjurandi, doli mali, aut quod metus causa, &c. perimi potest, idoneum non est, ut in compensationem deducatur *d. l. quacunq; 14. ff. b. t.* e. g. si tibi. 50. debeam ex stipulatu, & tu mihi. 50. ex mutuo, quod mutuum tibi pacto de non petendo
remi-

remissi, si hoc casu exigas à me. 50. ex stipulatu, non sanè possum tibi compensationem opponere eius debiti, quod ex causa mutui mihi debes, cum exceptione elidi queat, huius rei accurata ratio emenda est ex *l. 3. §. 1. ff. de const. pec.* ibi dicitur: debitum, q̄ per exceptionē tollitur, iuribus debitum non esse: Si debitū non est: Ergò nec compensari potest.

61. Præterea, si compensatio ritè fieri debeat, necesse est, non tantum ut debitum sit certum h. e. ut constet, quid, quale, quantumq; sit in obligatione. *l. ubi 75. ff. de V. O.* incerti namq; debiti compensatio fieri nequit. *l. 22. ff. b. t.* sed etiam purum utrinq; id est non suspensum conditione: ante impletam enim conditionem, cum omnis petitio sit frustranea. *l. cedere diem, ubi Gædd. de V. S.* quotusquisq; est, qui non videat, nullum pendente conditione compensationi relictum iri locum, si modo sciât, compensationem esse petitionis speciem. *l. amplius 15. ff. rem rat. hab.* plura fundamenta juris ad stabiliendam hanc conclusionem disputationis conflictui reservamus.

62. Sic & præsens debitum sit, non dilatum die. *l. 7. ff. b. t.* hoc est, debitum utrinq; tale sit, ut hinc inde jam peti possit Borch. *c. 4. n. 6. b. t.* q̄ enim in diem debetur compensationis eò usq; est impatiens, donec dies veniat, quanquam dari oporteat, cum dies obligationis cui adjicitur pars sit. *l. 1. §. editiones. ff. de edend. & debitoris gratia adponatur l. 17. ubi Phil. Matt. de R. J. in fi.* ut proinde temporis interfusurio debitor invitus privari nequeat, *l. 41. §. ult. ff. de V. O.* idq; adeò verū est, ut in pœnam plus petentium incidat, qui ante diem petit. *§. si quis agens. Inst. de Actionibus.*

63. Sed hæc conclusio moderationem recipit, ut procedat de die obligationi adiectà à contrahentibus, secus est in die seu tempore, quod iudicatis & confessis in jure ad solvendum dari solet, tunc enim quod iudicatus debet, etiam intra tempora iudicati rectè compensatur cum eo, quod ipsi vicissim debetur. Donell. *d. l. 15. com. 15. vers. sed sciamus. Coppel. c. 4. n. 38. & seqq. b. t.*

64. Rationem diversitatis hanc indigitat J. C. Papinianus in *l. cum milit. 16. §. 1. ff. b. t.* ubi in fit, aliud est diem obligationis non venisse, aliud humanitatis gratiâ tempus indulgeri solutionis πρὸς ἐπίσταλψιν h. e. ut elucidat Const. Harmenop. idèò indulgetur hoc tempus ut iudicatus quodammodo respirare valeat.

65. Olim enim ex L. XII. Tabul. dabantur iudicatis 30. dies ad solvendum, post de jure codicis duo menses, tandem verò novissimâ sanctione

sanctione Justinianæa quadrimestre tempus seu quatuor menses in actionibus personalibus. *l. 2. l. fin. §. 1. C. de usur. rei judic.* qui numerabantur illicet à sententia lata, vel si subsequuta fuerat appellatio à sententia iudicio appellationis confirmata. Harmenop. *tit. 4. §. 88. & 89.* nostro tempore in terris Saxonis indulgetur tempus 6. septimanarum & 3. dierum *Constit. Elector. 32. p. 1.*

66. Res per hypothesein clarior fit, magis enim veritas oculatâ fide quàm per aures animis hominum infigitur. *§. fin. Inst. de gradib. cog.* Pone; condemnatus iussus est solvere intra prædictum spatium 6. septimanarum, & trium dierum: Si jam condemnatus intra hoc tempus iudicati ab eo cui condemnatus est, sibi debitum petat, id quod iudicatus ex condemnatione vicissim debet, rectè compensabitur cum illo debito, quod sibi debetur ab eo, cui iudicatus est, licet iudicatus excipiat, tempus ad solvendum datum non esse elapsum. *d. l. cum 16. §. 1. h. t.*

67. Et hæc de debito in diem sufficient. De debito quod certo loco, hoc sciendum est, cum ei qui certo loco solvere promisit, alibi agenti compensatio eius debiti objiciatur, venit in æstimationem loci utilitas, & eius ratio habetur, non obstante, quod stricti juris actione nihil possit peti, nisi quod expressis verbis in condemnationem deductum est. *l. quicquid. 99. ff. de V. O. & quod creditor respectu loci certi agendo alibi, plus dicatur loco petere, adempta debitori loci utilitate. §. 33. vers. loco Inst. de Action. §. t. t. ff. de eo quod cert. loco. cum creditoris interest solvi pecuniam suo loco. l. 15. ff. h. t. idq; contra subtilem juris rationem ex æquitate introductam est. arg. l. 1. ff. d. t. de eo quod cert. loco.*

68. Ultimò pariter desideratur in compensatione, ut liquidum seu apertum sit debitum, h. e. non requirat altiorem indaginem. Liquidum etenim ad illiquidum non admittitur compensatio. *l. fin. §. 1. C. b. t. ibi, si causa, ex qua compensatur, sit liquida, & non multis ambagibus innotata, sed possit iudici facilem exitum sui præstare, & huius rei causa radicalis est, ne per compensationem, quæ ex æquitate introducta est. l. 5. 6. C. b. t. iniuria alicui fiat: Creditori autem fieret iniuria, si quod ipsi liquido deberetur, quodq; nulla adversarii tergiversatione potest eludi compensari diceremus cum eo, quod debitor vicissim sibi a creditore debitore assumat, nec tamen probat, neq; statim probare potest.*

69. Exinde haud iniuria in admirationem aliquem defigere posset contraria sententia Tyndari. *art. 8. nura. 36. h. t. f. 301.* cum tamen textus in *l. fin.*

in *l. fin. §. C. h. t.* tam perspicuus tamq; apertus sit, ut nullo modo cavil-
lari possit, vix ergò sustineri potest hæc opinatio, nisi admoto distin-
ctionis ariete, inter Jus vetus & novum, negotium hoc abfolveris. O-
lim enim cuiuscunque debiti ad quodcunq; sive liquidum, sive non,
compensatio admittebatur. Hillig. *ad Donell. d. l. lit. Bb.*

70. Pro liquido debito & illud reputatur, quod brevi temporis
spacio, sine mora & latiori indagine enodari & liquidari potest, quod
fit vel confessione adversarij, vel celeritate probationis, vel genere
constitutionis, si adversarius factum fateatur, jus autem apertum ne-
get. Hillig. *ad Donell. d. l. lit. CC.*

71. Quanto verò tempore de proximo dicatur liquidari debitum,
nullibi locorum in jure hoc tempus determinatum reperitur. *l. i. §. i. ff.*
de Effractor. Judex igitur, ut vir bonus & diligens pro rei qualitate cir-
cumspectè poterit æstimare, quale tempus requiratur, juxta *l. ult. §. i.*
C. h. t. ibi: hæc ita iudices observent. Menoch. *de A. J. Q. l. 2. cent. i. cas.*
14. Sicb. C. h. t. n. 15. Tiraq. *de utroq; Retract. consang. §. 3. gl. 3. n. 11. & seqq.*
Constitutio Electoralis *§. in fin. p. 1.* exigit, ut ex instrumentis produ-
ctis, confessione partis, aut actis conventionis, causa debiti ita liquida
sit, ut nullâ aliâ probatione indigeat.

72. Nunc è re est, uti loquitur *JC. in l. i. ff. de reb. cred.* ut videamus
in quibus actionibus compensatio obtineat, & quidem olim in actio-
nibus bonæ fidei, in personam compensationi tantum locus erat, eò
quòd judici concessa erat potestas libera æstimandi ex bono & æquo.
§. in bonæ fidei. 30. Instit. de Act. In stricti verò juris judiciis minimè gen-
tium. Cujac. *§. obs. 16.* In hisce enim judiciis, omnis potestas judicis sic
intra formulæ terminos concludebatur, ut fas ei non esset vel latum
unguem ab eius præscripto recedere, tametsi fortè æquum id esse judi-
icaret *Duar. ad tit. de in lit. jur. n. 12. in fin.*

73. Veluti, si cui debebatur pecunia ex mutuo, sic concipiebatur
formula: si Seius debeat Titio 100. Cajus judex esto, sanè hac ratione
frustra contendebat Sejus sibi tantundem deberi ex alia causa; nihil
namq; de eo cautum erat in formula, datus judex præcisè sequi coge-
batur formulam præscriptam. Reconventionem ergò opus erat. *l. si idem.*
ii. §. i. ff. de jurisd. l. qui non 22. ff. de Judic. Arum. Exerc. Justin. 16. tb. 17.

74. Postea verò Divus Marcus, in stricti etiam juris judiciis indu-
xit compensationem, oppositâ doli mali exceptione, ita, ut adhuc re-

C

mane-

maneret aliqua differentia, quod in judicijs bonæ fidei compensatio fieret ipso jure, in strictis verò per exceptionem doli, h. e. si reus conventus in judicio exceptionem doli aëtori apertè objiceret, tanquam dolo agenti, qui plus peteret quàm ipsi deberetur, aut certè peteret quod postea redditurus esset. *l. in condemnatione 173. §. ult. ff. de Reg. Jur.*

75. Tandem inter omnes prudentes placuit, etiam in stricti Juris judicijs omni discrimine sublato eam admittendam esse, *l. 21. ff. b. t.* quod Justinianus Imperator post Divum Alexandrum Severum. *l. 4. C. b. t.* suis constitutionibus confirmavit, ut indiscriminatim in omnibus, cum personalibus tum realibus, tam in strictis, quàm bonæ fidei actionibus compensatio ipso jure fieret, conditione scilicet suà, si nil aliud impediret, videlicet personæ debitorum, vel res debitæ; textus in hanc rē luculentissimus. cui de mundo nemo est responsurus (ut loquitur Jason. *in autb. ex causa n. 1. C. de liber. prat.*) in *l. fin. C. b. t.* ibi: nulla differentia in rem vel personalibus observanda. Et hoc verum est etiam in stipulationibus prætoriiis, ut est cautio de damno infecto, quia sunt instar actionum. *l. qui bona §. si quis. ff. de dam. infect.* & lata actionis significatione continentur. *l. actionis verbo 37. ff. de O. & R.*

76. Hic non de lana caprina aut umbra asini disquiritur: Num in actionibus depositi & momenti quæ res alienæ malè occupatæ reperiuntur, compensatio hodie ipso jure procedat? Negativæ assertioni munimentum præbet. *l. ult. §. 1. C. b. t.* vbi singularis Privilegij loco, actioni depositi tributum est, ut in ea non locum inveniat compensatio, ergò Jus commune in contrarium erit, nam jus in uno singulari arguit regulam in reliquis omnibus esse contrariam, ne videatur absurdè & insulsè specialis Privilegij loco concessum esse, quod alias ipso jure communi licet.

77. (2.) Prohibitionis ratio in deposito est, cum quod adversus naturam ipsam conventionis depositi fidemq; datam fiat recta, si mora ulla reddendo quocunque prætextu fiat. *l. 11. C. de pos.* tum quia depositum est optimæ fidei. Majorem enim, amplioem & uberiorem bonam fidem requirit quam reliqui contractus omnes, quia bona fide nomen habent. *l. 6. C. de rei vend.* & hoc jus in deposito etiam ante Justinianum viguit, *Paul. 2. sent. tit. 12. §. 4.* cui non reclamant verba legis *ult. C. b. t.* ibi: secundum nostram sanctionem. Nam Justinianus Imperator illis verbis ostendit, se depositum in veteri jure reliquisse,
nec

nec naturam eius mutasse, quam conciliationem probat Osvald. Hil-
lig. d. l. ad Donell. lit. 1.

78. In actione verò momenti præter. *l. fin. §. 2. C. b. t.* ratio hæc est,
quia spoliatus ante omnia debet restitui. *l. 7. C. ad L. Jul. de vi publ.* latè
Menoch. remed. 1. recup. possess. n. 11. & seqq. quippe causa restitutionis sic
privilegiata est, ut ante restitutionem factam, quis spoliatoribus re-
spondere non teneatur, nec exceptio dominij opponi possit, licet reus
conventus paratus esset etiam in continenti docere. *l. 1. C. si per vim. c. 1.*
X. de restit. spoliat. Socin. R. 164. propter odium spoliatorum, *d. l. 7. C. ad*
L. Jul. de vi publ. adeò, ut etiam prædo sit restituendus, quamvis ab
ipso rei domino spolietur. *c. ex literis. §. X. d. t. de restit. spol. §. recuperanda*
Inst. de interdict. ob quam sanè causam & Appellationem in actione mo-
menti prohibitam putamus. *l. unic. C. si de moment. possess. ap.* Idem juris
olim fuisse in actione momenti ante Justiniani tempora satis arguit.
d. l. unic. C. d. t. & l. 8. C. unde vi. Cujac. *l. 1. obs. c. 23.*

79. Superiori disquisitioni vicina est hæc: Num etiam actiones
commodati, & de dote repetenda hodiè exemptæ sint à compensatione?
antinomiæ evitandæ causa, quam in libris suis non reperiri ait Impe-
rator *l. 2. §. 15. C. de vet. jur. enucl.* ^{Anterior} Utrumq; negamus. In omnibus enim a-
ctionibus locus est compensationi, nisi excipiantur lege aliqua expref-
sa. *d. l. ult. C. b. t.* ast verò hæc actio nullibi excipitur; sub regula igitur,
quæ compensationem admittit, continetur, idq; roborat, *l. 18. §. fin. ff.*
commodati. huius sententiæ Patroni acerrimi existunt Cujac. *9. obs. 37.*
M. Lycklama. *stud. Jur. velitat. 3. q. 20. p. 140.* Dissidentium & aperto
Marte repugnantium affectu sunt. Æmil. Ferret. *1. lib. concil. c. 8.* Förner.
l. 2. select. c. 14.

80. In dotis actione impensas necessarias ipso jure dotem immi-
nuere, expressè quidè responsum est. *in l. 5. ff. de impens. in res dot. l. 66. §. 1.*
ff. solut. matr. sed tamen hi textus emandantur per *l. unic. §. taceat. 5. C. de*
rei uxor. act. in qua lege sancitur, ut cum de dote agatur, actione ex sti-
pulatu, cessent omnia genera retentionum: per compensationem au-
tem fieri retentionem, liquet ex. *l. verum est ff. b. t.* ibi fidejussorem eò
minus ex omni contractu debere, quod ex compensatione reus reti-
nere possit. Seb. Medic. *p. 1. q. 17.* Tynd. *art. 5. n. 42. & seq.* contradicentis
partes ^{reute} tuentur Arum. *disp. Pand. 15. tb. 19.* Coppel. *b. t. c. 7. n. 29.*

81. Nunc de modo & effectu compensationis. Modus est ut fiat

ipso jure: *l. 4. l. 10. ff. b. t.* sicuti enim solutione tollitur ipso jure obligatio; *§. 1. Inst. quib. mod. toll. obl.* ita etiam ipso jure tollitur compensatione, *l. 4. l. fin. C. b. t.* Quia species quædam solutionis est. *l. 19. ff. de lib. caus. Trentacin. pract. resol. Jur. lib. 3. resol. univ. de compens. n. 24. Arum. Exerc. Inst. 15. tb. 6.* Et licet verba ipso jure facto hominis opponantur: Nic. Belon. *sup. 10. n. 2.* non tamen totaliter illud excludunt; ut enim constare possit, utrum reus beneficio suo uti velit nec ne, opponenda est in judicio. *l. 2. ff. b. t.* ibi: petentem submovebit: licet namq; decies millies Reo hoc beneficium competat, & si ille non alleget, tamen judex in causa poterit procedere, cum vaticinari nequeat, Reo aliquid vicissim deberi nisi objiciatur. *arg. l. si putator. in fi. ff. ad L. Aquil. l. 7. ff. ad SC. Vellei.*

82. Si autem Reus allegarit compensationem, eamq; probarit tunc fit ipso jure compensatio h. e. actio ipso jure minuitur, & quicquid judex contra fecerit, nullum firmitatis robur obtinet, processus est nullus, sententia lata est ipso jure nulla, nec opus est ut ad ea appelletur, ac quod reus indebitè solvit, repetere potest: contra quam in aliis exceptionibus quæ non habent istum effectum, ut ipso jure extinguant actionem, ac oppositis illis, si ultra procedatur, processus fit nullus, sententia lata nulla. Exempli gratia: Si opponatur exceptio solutionis, quæ etiam à reo probata est, judex verò, non obstante illa probatione, condemnet reum, illa sententia valida est, & executioni mandari potest, nisi ab ea appelletur, res enim judicata pro veritate habetur. *l. 25. ff. de stat. hom. l. 207. de R. I.*

83. Quod verò dicitur ipso jure compensationem fieri, & tamen eam opponendam esse, hæc non sunt a systata, non sunt contraria, quæ simul stare nequeant, quamvis enim compensatio judiciis tam bonæ fidei quam stricti juris ipso jure insit, ea res tamen non facit, quò minus sit opponenda. Nam verba ipso jure hoc loco non opponuntur ei, quod fit ipso jure sine facto hominis, cū verba ipso jure sæpiusculè significant, quod ipsa lege fit facto tamen seu ministerio hominis requisito. *Wesenb. in Parat. b. t. n. 8. lit. D.* ubi exemplis declarat, sed longè aliam intelligimus oppositionem, nimirum eius quod fit ipso jure, non tamen per exceptionem h. e. Objectio compensationis non fit in vim exceptionis, sed in modum allegationis, quare reus conventus actione nulla teneatur. *Donell. ad l. 4. C. b. t. Borch. c. 3. n. 19. b. t.*

84. Et hæc ita constituta sunt de jure civili. In Galliarum curiis paulò

Paulò aliter comparatum est: Nam ibi compensationem non fieri ipso jure, nec, nisi rescriptis Regiis obtineri, quæ vocant lettres Royaux, notat Duaren. *c. 2. de compensat.* ubi ait: illa diplomata facile impetrari, & ad judicem, cujus ea de re notio est, dirigi.

85. Dum autem diximus opponendam esse compensationem in judicio, non abs re in ancipitem erumpit disputationem. Num objiciens compensationem debitum fateri censeatur? famigeratæ existimationis stringunt gladios pro negativa, nec immeritò: quia, qui excipit non videtur fateri. *c. 63. de R. I. in 6. ubi Dyn.* cum excipiens intendat excludere actionem, & ideò non debet eius exceptio operari contra eius intentionem, *l. legata. 19. ff. de legat. 1.* quæ sanè ratio & locum obtinet in opponente compensationem. Pacian. *de Probat. c. 22. n. 19. Fach. l. 11. contr. c. 6. Diss. Roman. consil. 77.*

86. Quo tandem tempore compensatio opponenda sit, non est quod anxie inquiramus, nam & post sententiam opponi potest quæ transivit in rem judicatam *l. 2. C. b. t. per Regulam* quod omnis exceptio peremptoria quæ non tendit ad impugnandam sententiam, sed ad executionem moderandam possit opponi post sententiam. *l. Nefennius 41. §. fin. ff. de re judic.* Idq; verificatur etiam stante statuto, quod exceptio solutionis post sententiam non possit objici. *Surd. decis. 191.* & ratio est, quia hæc exceptio compensationis non impugnat sententiam, cum videatur sententiæ satisfacere qui compensat, compensare enim solvere est. Debet tamen hoc casu compensatio esse liquidissima, aliàs sententia executioni mandabitur. *Seb. Medic. b. t. p. 2. q. 25. Capyc. decis. 167. n. 1.*

87. Effectus sanè compensationis multivarij enumerantur à Seb. Medic. *b. t. f. 273. & Tynd. art. 10. per tot.* haud postremus tamen est, ut per eam quandoq; servemus, quod alioquin actione non possumus servare *l. 9. f. b. t.* hunc sequitur nobilior, ex quo cæteri ferè omnes tanquam ex scaturigine promanant, videlicet ut sit ipso jure pro solutione. Nihil interest, inquit Pomponius. *J. C. solverit debitor an pensaverit. l. 4. ff. qui pot. in pign. Osasch. decis. 29. n. 12. & seqq.* quæ solutio numerationem brevi manu continet. *l. 9. §. 5. de acquir. rer. domin.*

88. Ex quibus haud difficile manifestum evadit (1.) Instrumento guarentigiato seu confessionato, habenti executionem paratam, contra quod dari non potest, nisi exceptio solutionis, opponi posse compensationem, *l. vel permutavit 19. ff. de lib. caus. Seb. Medic. p. 1. q. 47. & p.*

2. q. 20. nobilissimus Parlamenti Parisiensis assessor. *tr. de utroque Retr. Consang. §. 3. gl. 3. n. 4. circ. fin.* Villalobs *in tr. com. opin. verb. compensatio.* Moller. *ad const. Elect. 8. n. 3. § 8. p. 1.*

89. (2.) Paratus compensare, usuras non debet *l. 7. C. de solut. pignus datum repetere. l. invicem C. h. t. & si quid solutum est tanquam indebitum condicere potest, l. 30. ff. de Condict. Indeb.* si scilicet ignorans solverit, scienter enim indebitum solvens aut in jure errans secundum legem condictionis non repetit. *l. 6. C. de condict. indebit. cum quis C. de jur. & fact. ignor. Fach. l. 10. contr. c. II.* facti error justam habet excusationem, cum prudentissimis accidere possit, non verò error juris, quia jura omnes scire tenentur, h. e. non exigitur híc scientia juris, qualis est in Jurisprudentibus, sed qualem homines communi sensu præditi, consequi possunt vel per se vel per alios, consulendo prudentiores. *vide Andr. Clud. de condict. indeb. c. I. n. 14.*

90. (3.) Paratus compensare, in mora constitutus dici nequit, *l. 55. ff. de R. I. Donell. d. l. c. 16. versic. illud.* nam exceptione perpetuâ tutus est, *l. lecta. 40. in fin. ff. si cert. pet.* Unde rectè infertur, Emphyteutam canonem intra statuta tempora (intra triennium videlicet si civilis, intra biennium verò si Ecclesiastica. *l. 2. C. de jur. Emphyt.*) non solventem, Emphyteusi non cadere, si dominum sibi vicissim obstrictum habeat. *Guid. Pap. in decis. q. 71. Treut. d. disp. 25. th. 11. lit. D. volum. 1. nec à domino privata auctoritate expelli posse l. 3. C. de pign. Vaud. 1. q. 13. Fach. 1. contr. 95. Arum. Exer. Inst. 14. th. 15.*

91. (4.) Si adversus heredem qui distulit legata venerabilibus locis relicta solvere, agatur ad pœnam dupli, isque compensationem objiciat inquiring, ideò non solvi, quia tantundem mihi debetur, per hoc evitatur pœna. *§. quadrupli. Instit. de Action. l. etiam, C. h. t. ubi Salicet. & Dd.*

92. Et hæc ἐξ ἐποχῆς ἀκαδημικῆς πεπαρρησιασμένα de præsentî materiâ, uberiorem eius δήλωσις qui avet allegatos Dd. adeat, nobis in pulvere Academico constitutis aliæ occupationes plura non concesserunt.

Plenius hæc alij tractare per otia possunt:

Nostra fuit Fontes mens aperire modò.

Superpendij loco hanc disputationem concludimus, si pater legat aliquid simpliciter filia, & postea dotet eandem, dotem compensan-

san-

mandam esse cum legato. per text. l. 22. ff. de legat. 2. l. 108. §. Stichum. 4^o
de legat. 1. l. 84. §. cum pater. in fin. ff. eod. Suar. recept. sent. lit. D. n. 325. Jo-
han. Frid. Sol. de dote. q. 9.

AUCTARIA.

I.

Obligatio quod quis velit esse scelestus & infamis, si hoc
vel illud non fecerit, de jure non valet. l. 125. in fin. de V. S. l. 15. ff.
de condit. Instit. Hering. de Fidejuss. c. 19. n. 140. & seqq. Bocer. de
qual. Feud. c. 3. n. 15. & seqq.

II.

Jus accrescendi in emptorem hereditatis etiam trans-
ire statuunt rectè Johan. Robert. l. 3. an. jur. civ. c. 12. Harp. ad
D. ult. Instit. de emption. & vend. n. 23. & seqq. Arum. Exerc. Ju-
stin. 14. th. 7.

III.

Falsò aliquem commendans & affirmans esse idoneum
cum non esset, tenetur creditori. text. in l. quod si 8. ff. de dolo, &
l. si quis affirmavit ff. eod. Schef. q. pract. 46. p. 1.

IV.

Stipulatio sub conditione, si Titius moriatur, commit-
titur etiam eo occiso, argum. l. si mater. C. de Inst. & subst. Pileus
Modic. q. 3.

Gloria sit Christo sit honor laus fama perennis.

ACCL.

QK TK 480

ACCLAMATIO

Ad Ornatissimum & Doctissimum
Dn. Respondentem.

Οὐδὲν ἄνευ καμάτοιο Θεὸς μερόπεσι δίδωσι,
Σὺν πόνῳ ἢ δ' εὐχῇ πάντα δίδωσι Θεός.
Τῆτο σὺ εὖ οἶδας κτ' σὺ φρένα καὶ κτ' θυμὸν,
Τῆνεκα καὶ κλύε σοι ἔργα μέμηλεν αἰεὶ.
καρκίνοιο ἔνερδεν νῆν πῶς ἀνταποδῆναι,
Δεικνῦναι πειρᾶς πάντεσι δεῖ τὸ εὖ.
ὧδε μένων ἔσεαι μέγα Φῶς τῆς πατρίδος αἰας,
χάριμα πατρὸς γεγεῆ, χάριμα φίλοισι τοῖς.


Lipsiæ amoris ergò apposuit

Matthæus Weldoner/Schleu-
sa-Fran.



VOTZ

M. 15



NIFICIS
onsultissimis VIRIS,

ÖTERO CANCELLA-
ctatissimo,

PONIKAV in lüchsen, arcis
ngensis præfecto: nec non Dyca-
st Jenæ judici dignissimo,

ULTIS EXIMIIS,
quorum Saxonie Ducum, in illu-
RGICO, Consiliariis lectissimis:

C NON
: Spectatissimo Viro,
Stumpfen aliâs Lahr/Quæsto-
em, PARENTISuo filiali obe-
â adamando

notoribus suis submissâ gratisu-
rpetuò colendis

j privati primitias
dicando consecrat,
consecrando addicit,
addicendo offert

ASPARUS Stumpf aliâs Lahr
Meining. Fr.

